

TABVLA RECITATIONVM

IN
ACADEMIA LVDOVICIANA
PER SEMESTRE AESTIVVM
A DIE XV. APRIL.

CIDIOCCCLXXXII.
INCHOANDARVM.

RECTOR
ACADEMIAE LVDOVICIANAE
D. IOH. LVDOV. FRIDERICVS
DIETZ
CVM SENATV.

Quemadmodum populi prisci fere omnes, atque inter eos praecipue Romani origines gentis vrbisque suae celebrare, augustiores effingere, vel ad deos ipsos referre, atque innumera comminisci soliti sunt miracula a fide profus aliena: pari ratione viri nonnulli historiae antiquae peritissimi nostra aetate maiestatem imperii Romani ita verentur, vt Romam, terrarum dominam, iam inde a primis initiis splendidius atque sapientius constitutam fuisse asserunt, quam historiarum monumentis doceri potest. Vero potius simillimum atque admirationi excitandae aptissimum videtur, Romam a tenui humilique principio ad summum illud gloriae fastigium euectam fuisse. Quare *Ouidius* *Fast.* IV. v. 857. canit:

Vrbs oritur, quis tunc hoc vlli credere posset,
Victorem, terris impositura pedem.

Atat sunt inter Romanae antiquitatis doctores, qui nullas sordes maculae incubulis Romae inhaerere sinant, atque singula scriptorum veterum verba meliorem in partem interpretari conentur. Quum v. c. *Faustulum* illum, qui *Romulum Remumque* expositos seruauit, atque vxori educandos tradidit, magistrum regii pecoris fuisse *Liuius* Libro primo capite quarto commemorarit, pro vulgari illum pastore non habendum esse vrgent. Illa scilicet aetate, qua regum etiam opes atque diuitiae agricultura pecorumque cura nitebantur, qua reges ipsi, veluti *Paris* ille, pastorum munere defungi non erubescabant, qua, quo quis ditior erat, eo plures eum grege circummugiebant, sicuti vitam pastoritiam, ita munus & officium pastorum minime contemptui fuisse concedimus. Magistros igitur regii pecoris, quia potiores regum redditus administrarunt, cum procuratoribus fisci, cum comitibus rerum priuatarum, quos Caesarum aetas vidit, aut cum illis comparare solent, quos lingua vernacula *Auffseher der Domainen und Finanzen* nuncupamus. Verum enim vero ad augendam *Faustuli* dignitatem omnia illa parum inferuire nobis quidem videntur. Quum scilicet gregum cura *seruis* demandari solet, eum *seruis regis*

annumerandum esse apparet, et si eum *magistrum*, id est, inspectorem talium seruorum fuisse fateamur. Sic enim e familia rustica aratores, bubulcos, opiliones, caprarios, agasones, iumentarios, agitadores, porculatores, omnes praefecto seu magistro pecoris subiectos fuisse constat, qui autem & ipse villico parere cogebatur. Cf. *Pignorius* de seruis p. 540. Sicuti, quae de fatiis *Cyri* pueri narrantur, omnino simillima sunt illis, quae de *Romuli* expositione atque educatione memoriae tradita sunt: ita, qualis fuerit *Faustuli* istius status, optime illustrari potest e *Iustino* (Histor. I. 5.) eiusque narratione de *Cyri* vita inter pastores acta. Quum nempe, ut *Iustini* verbis utamur, inter ludentes pueros rex delectus *Cyrus* contumaces flagellis caecidisset, a parentibus puerorum querela est regi delata indignantibus, a seruo regio ingenuos homines verberibus affectos — iidem illi viri docti, qui *Faustulum* inter regiae aulae principes referunt, asyllum illud, quod augendae multitudinis ciuium causa *Romulum* aperuisse *Liuus* I. 8. testatur, receptaculum atque refugium sceleratis atque perditis hominibus fuisse negant, immemores, eundem grauissimum historiae Romanae autorem II. 5. interrogasse: Quid futurum fuit; si illa pastorum *conuenarumque* plebs *transfuga* ex suis populis sub tutela inuiolati templi aut *libertatem*, aut certe *impunitatem* adepta fuisset? — At illa fusius persequi instituti nostri ratione prohibemur, quippe quibus non commentatio scribenda est, sed praefatio siue prolusio indicii praelectionum praemittenda, quem locupletissimum iam exhibebimus, non solum, ut muneri nostro, sed etiam ut Vestrae, *Commilitones aestumatissimi*, expectationi atque discendi cupiditati satagamus.

LECTIONES THEOLOGICAE.

D. IO. HERM. BENNER, *Acad. Senior.* Non deerit volentibus, in ambitu doctrinae theologiae, operam suam commodare, annum licet 83. iam ingressus, siue *dogmata* poscent, siue *morum* disciplinam, *utriusque & hermeneuticae* sacrae dedit compendia: Et, quod viua voce non dabitur, id *calamus typusque* praestet. Ciuiibus nostris, quorum in gratiam, *quartum meletema*, sub prelo sudat.

D. IOHANNES GEORGIUS BECHTOLD hora VII. Theologiam dogmaticam praeunte b. Heilmanno praeleget; hora VIII. Religionis Christianae veritatem duce Ven. Lessio demonstrabit; hora XI. in exegefi sacra N. T. perget, ad lectiones quoque theologiae moralis, symbolicae, & pastoralis paratus. Denique collegium examinatorium semestri elapso inchoatum continuabit.

D. LVDOV. BENIAMIN OUVRIER. Hora VIII-IX. Theolog. Polemicam docebit ad Compendium suum *Geschichte der Religionen*. Hor. IX - X. Theolog. dogmaticam praeunte D. Danouio. Hora XI-XII. Homiletico-practicum diebus Mercurii & Saturni, ad ductum compendii sui, Eadem hora quatuor per septimanam horis Theolog. moralem ad D. Lessium. Nec iis deerit, qui historiam reformationis audire cupiunt vel etiam examinatorium in theolog. dogmat. optant.

LECTIONES IURIDICAE.

D. IO. CHRISTOPH. KOCH. *Institutiones* ex HEINECCII elementis nou. edit. hor. VIII. *Ius criminale* ex suo compendio hor. X. *Ius canonicum* ex G. L. BOEHMERO hor. II. sex per hebdomadem diebus tradet. Doctrinam *successionis ab intestato* hora commoda docebit ad filum sui libelli. Offert quoque iis, qui profectuum suorum periculum facere cupiunt, *disputatorium* aut *examinatorium*.

D. CHRISTIANVS HARTMANNVS, SAMVEL GATZERT ad sacratissimi Principis Consistorium intimum euocatus ad tempus vsque abitus sui aduentusque, si licet, successoris potiores materias *Iuris feudalis, Germanici publici ac priuati* hor. VII - IX. & XI, XII. illustrabit.

D. HEL-

D. HELVICVS BERNHARDVS IAVP publice hora VIII - IX. diebus Lunae & Veneris ius priuatum Principum docebit. Priuatim hora IX - X. ius publicum Germanicum, hora X - XI. historiam imperii, hora XI - XII. processum summorum imp. tribunalium, tradet, vfurus compendiis PÜTTERI.

D. IO. GODOFR. SIGISM. ALB. BVCHNER. Priuatim Pandectas praeunte HELLFELDIO hora IX - X. XI - XII. & (bis per hebdomadem) VI - VII. theoretice & practice explicabit. Ius Naturae & Gentium ex ill. HOEPFNERI compendio hora X - XI. proponet. Lectiones priuatissimas in doctrinam de actionibus instituet. Collegium quoque disputatorium in usum selectissimorum auditorum gratis aperiet.

LECTIONES MEDICAE.

D. IO. WILH. BAVMER, Med. Prof. primar. Hora Dnis Commilitonibus commoda in suam Iurisprudentiam medicam commentabitur, & hanc disciplinam, tam Iuris quam Scientiae salutaris Cultoribus oppido necessariam, casibus forensibus notabilioribus illustrabit. Hor. X. Pathologiam, aut therapiam specialem, praeunte b. m. Dno Frid. Hoffmanno in fundamentis pathologico - therapeuticis, solita longoque vsu firmata dexteritate docebit. Hor. XI. Institutiones suas chemicas theoretico - practicas, iam sub prelo typographico sudantes, quinquies de hebdomade explicabit, & sub coelo temperato, experimenta chemica selectiora faciet. Nec iis deerit, qui, aliam quamcunque scientiae medicae partem discere, in animum induxerunt.

D. CHRISTOPH. LVDOV. NEBEL, Med. Prof. publ. ord. Lectiones chirurgicas in Platneri institutiones, hora XI - XII. Obstetricales in Steinii compendium hora III - IV. vel alia auditoribus commoda, denuo inchoabit.

D. IO. LVD. FRID. DIETZ, P. M. O. Osteologiam duce Albino h. IX - X. Physiologiam praeunte Hallero h. X - XI. Anat. theoreticam h. XI - XII. ad Plenckii Compendium explicabit. Medicinam Veterinariam hora auditoribus commoda exponet. Examinatorium Anatomico Physiologicum offert.

D. CAROLVS GVILIELMVS, CHRISTIANVS MÜLLER, Med. & Phil. nat. Prof., publice, quae de morbis infantum restant, pertractabit. Priuatim h. VII. Physicam dogmatico experimentalem, h. VIII. Chemiam theoretico - practicam, h. XI. Therapiam specialem ad b. Vogelii Comp. h. II. Botanicen ad filum Phil. bot. & syst. veg. Eq. a Linne, h. III. historiam naturalem vniuersalem, docebit.

LECTIONES PHILOSOPHICAE.

ANDREAS BOEHM, Lög. Metaph. & Mathem. P. P. P. Bibl. acad. Praefectus Deo vires clementer largiente h. VII. matutina logicam, h. VIII. metaphysicam ad filum compendiorum a se editorum, h. II. mathefm puram, h. III. mechanicam & sequentes mathefeos applicatae partes praeunte b. WOLFIO docebit. Bibliothecam academicam tempore consueto aperiet.

IO. CHRISTOPH. FRIED. SCHVLZ, Prof. LL. Or. & Gr. Priuatim h. X - XI. Lucae Acta Apostolorum ex Griesbachiana textus recensione h. XI - XII. Psalmos ex propria recensione interpretabitur. Priuatissime h. II. graecos N. hor. IV. hebraicos V. T. libros omnes cursorie perleget. Hor. I. fundamenta linguae anglicanae tradet.

D. CHRISTIANVS HENRICVS SCHMID, Prof. Poef. & Eloquentiae. Publice Hora II - III. Horatii Odas illustrabit. Priuatim Hora VIII - IX. Praecepta stili bene La-

Latini duce Schellero tradet. Hora III-IV. *Notitiam librorum cuius studio vti-
lissimorum e S. R. Milleri libello exhibebit.* Hora IV - V. *Historiam litterariam
Poeseos e libro suo: Anweisung zur Kenntniss der vornehmsten Bücher in allen
Theilen der Dichtkunst enarrabit.*

HENR. MART. GODOFR. KOESTER Hora VII-VIII. *Historiam Litterariam ad
Compendium Baumannianum* Hora X - XI. *Historiam Ecclesiasticam ad Comp.
Schroeckhianum,* Hora XI-XII. *Historiam Vniuersalem ad Comp. proprium,* Hora
III-IV. *Historiam Statuum Europae ad Comp. proprium docebit, ad docendas alias
Scientias historicas & Praelectiones specialiores v. g. in historiam Imperii Procerum
paratus.*

LECTIONES OECONOMICAE.

IO. AVGVSTVS SCHLETTWEIN explicabit hor. matut. VII-VIII. *Oeconomiam
politicam, seu principia vniuersarum disciplinarum cameralium secundum proprium
systema; hor. VIII-IX. Oeconomiam forestalem duce Succouio; hor. X - XI. Jus
naturae & gentium secundum propria principia; nec iis deerit, qui praelectiones in
scientiam monetariam, vel commerciorum, vel in momentofam doctrinam de colle-
ctis, regalibus, & domaniis, vel in alias disciplinas oeconomicas desiderabunt.*

D. IO. WILH. BAVMER, *Histor. nat. & Chemiae Prof.* Hora a Dnis Commilito-
nibus praefinienda, *historiam regni mineralogici, ad proprias suas institutiones, ty-
pis prostantes, singulis diebus profectis tradet, & simul subiecta ad hanc discipli-
nam pertinentia visui exponet.* Diebus Saturni hor. XI. *Historiam chemiae litera-
riam, sub titulo bibliothecae chemicae, nuper a se editam, publice tradet.* Horis
eiusdem diei pomeridianis, *coelo fauente, Dnis Medicinae atque Oeconomiae Culto-
ribus herbas indigenas, in primis vero sic dictas officinales, nec non arti tinctoriae,
& iumentorum pecudumque pabulo infernientes, ruri, in ipsis locis natalibus, osten-
dere, non tergiuerfabitur.*

GEORG. FRID. WERNER *Geometriam practicam & omnia quae ad illam perti-
nent docebit, ipsam praxin cum regularum expositione continuo coniuncturus.* Ver-
sus finem semestris *praecepta artis libellandi tam explicabit, tam in campis actu
exercebit.* Praelectionibus h. XI - XII., *practicis autem laboribus diebus merc. &
saturni postmeridiam vacabit.*

LECTIONES EXTRAORDINARIAE.

IOANNES CHRISTIANVS DIETZ, SS. *Theol. Profess. publ. extraordinar.* Le-
ctiones exegeticas in *epistolam diuini Pauli ad Titum tradet, ita vt singulis peri-
copis dispositiones homileticas subtexit.* In *codice sacro Pfalmos & acta apostolo-
rum alternis vicibus explicabit.*

D. IOANN. WILH. CHRISTIAN. BAVMER, *Med. Prof. Extraord.* Hor. I-II.
In institutiones med. immortalis Boerhauii commentabitur. Hora II-III. *Osteolo-
giam, ad ductum Albini in libro de ossibus corporis humani, proponet.* Hor. III-IV.
morbos venereos, duce Basso in tract. de morbis venereis; explicabit.

*Praeter ista Generosissimis Nobilissimisque Ciuibus de iuculenta equitandi, pugnandi gladio
saltandique palaestra, Gallicae item & Italicae linguae scholis, per magistros earum
peritissimos, publice constitutos, abunde prospectum est.*

Gissae, Ex Officina Brauniana.